

dendum, stare non potest. Quæ sententia in adultis universalis currit, quia cum ipsi propriis actibus justificandi sint, multique ex illis actibus sint in præcepto, evidentius ibi apparet non posse auxilium sufficiens illis denegari ut præcepto obligentur, neque illuminationem eis deesse (nisi sua negligentia, et cæcitate velint lumini esse rebelles) ut possint converti, quia: *Lux vera est quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. I. In parvulis qui non illuminatione interna, neque præcepto aguntur, sed ministerio aliorum sibi debet exhiberi remedium salutis, non ita universaliter procedit hæc sententia, sed dividuntur auctores. Nam quidam existimant omnibus parvulis, etiam qui decedunt in utero materno provisum fuisse auxilium sufficiens, saltem remote, et in cura, seu actionibus parentum, vel eorum quibus interest. Ita Bellarminus II de gratia et libero arbitrio, c. v; Valentia 1-2, disp. VIII, qu. III, puncto IV; Lessius de prædestinatione, sect. VI, assert. I; Arrubal disp. XCI. At vero Suarez lib. IV de providentia erga reprobos, c. IV, num. IV, etsi dicat magnam partem hujus controversiæ esse de modo loquendi, tamen num. XV fatetur baptismum qui ex humana diligentia pendet, non potuisse antecedenter omnibus parvulis applicari: quod est in aliam sententiam inclinare. Et sic alii sentiunt, Deum non providisse multis parvulis auxilium sufficiens, ut in eis peccatum originale deleteretur. Quod sentiunt Vasquez I part. disp. XCVI, c. XXII citatque Driedonem, Gregorium, Gabrielem, Soto, et sequitur etiam Alarcon ubi supra cap. IX, conclus. V.

Nihilominus in hac difficultate duo dico.

XXX. Primum est: Si loquamur de auxilio sufficienti in communi,

et ex parte ipsius remedii quod datur, et proponitur a Deo tum in sacramento pro parvulis, tum in sacramentis, et doctrina atque oblatione virium sufficientium pro adultis, omnibus paratum est, et donatum a Deo auxilium sufficiens, vel in se proxime, vel in suis causis, ut in meritis, et virtute passionis Christi, in Ecclesia catholica omnibus communi, et patenti de se, in prædicatione, et notitiâ sufficienti facta per totum mundum, licet negligentia, et incuria hominum in diversis terris evanuerit, et denique, in aliis causis remotis, id est, non proxime applicatis.

Secundum est: Si loquamur de auxilio sufficienti in particulari, scilicet ut in isto vel illo subjecto singulari recipitur, aut proxime receptibile, et applicabile illi est, non omnibus datur a Deo auxilium sufficiens (ita ut proxime, et formaliter aliquis non sit potens salvari) non solum parvulis, sed nec etiam adultis pro omni tempore quo instat salutis consecutio; sed tamen pro omni tempore quo instat adulto præceptum, non denegatur ei a Deo, sed offertur auxilium sufficiens ex parte sua, licet non semper advertatur aut recipiatur ab adulto, sed vel ab illo divertat, vel ei repugnet, aut omittat.

XXXI. Primum dictum negari non potest salva fide, cum innitatur universalissimæ virtuti redemptionis Christi, universalitati Ecclesiæ catholicæ, universalitati illuminationis divinæ, tam in ordine naturali quam supernaturali, universalitati prædicationis Apostolorum, et aliorum ministrorum, et aliis similibus causis quæ in omnes de se influxivæ sunt saltem remote, nisi hominum aut negligentia aut peccatis impediuntur. Nam redemptio Christi pro omnibus hominibus facta est quoad sufficientiam, et sa-

cramenta omnibus proposita, et omnes virtutem habent, I Joan. II: *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et totius mundi*: I ad Timoth. II: *Qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus*: II ad Corinth. V: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus*: et ad Heb II: *Ut pro omnibus gustaret mortem*. Similiter sacramenta in Ecclesia catholica, ejusque doctrina omnibus proposita sunt, nec aliquem excipiunt: est enim fons ille, de quo dicitur Zachar. XIII: *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ*; unde, et confitemur unum baptismum in remissionem peccatorum, non hujus, vel illius, sed simpliciter quorumcumque peccatorum. Et sacramentum pœnitentiæ pro remissione omnium post baptismum institutum est, Joan. XX: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Et illuminatio Dei, saltem interna, ad omnes se extendit, Joan. I: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: et Roman. I: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles*: et Job XXV: *Super quem non surget lumen illius*. Prædicatio quoque Apostolorum omnibus facta est, et toti orbi manifestata, nam: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum*, ad Roman. X. Et Paulus Atheniensibus prædicans Actorum XVII: *Nunc, inquit, annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant*, ubi ly omnes, et ly ubique universalitatem designat prædicationis, et remedii, quod et omnes personas, et loca omnia complectitur. Itaque quoad remedium sufficientis auxilii, quasi in universali

quadam apotheca pro omnibus locis, et hominibus positum, et datum est a Deo. An vero omnes possint ad talia remedia accedere, an vero aliqui ita impediuntur ut sine potentia maneant ad utendum talibus remediis, hoc pertinet ad secundum dictum.

XXXII. Oppones: Etiam in ratione remedii non pro omnibus institutum est; nam baptismi non sunt capaces infantes nondum nati: renasci enim non potest nisi natus: ergo pro illis non est aliquod remedium quamdiu ibi sunt, in tota virtute passionis Christi, et sacramentorum Christi: nihil enim est eis applicabile sub eo statu, et tamen in illo multi moriuntur: ergo multi sunt pro quibus non est remedium in apotheca Christi, et tamen illi sub ejus potestate sunt, quia ab eo puniendi, et judicandi sunt, et generaliter dicit Christus orans ad Patrem, Joan. XVII: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, et tamen pro illa carne parvulorum in utero non est relictum remedium.

Respondetur quod pro illis prout sunt in utero reduplicative, et quatenus sub illo statu non est remedium, quia non est necessarium, neque commode, et decenter applicari posset illis infantibus remedium aliquod sensibile, et humano modo, seu per sacramentum applicabile. Sed tamen illi parvuli absolute, et simpliciter sunt capaces remedii, quia sunt capaces ut extrahantur ab illo loco, vel per naturalem natiuitatem, vel per abscissionem uteri, si mater moriatur. Quod si ipsi antea talem extractionem moriantur, hoc non arguit, quod non sit remedium pro ipsis simpliciter loquendo, sed quod applicatio talis remedii sit aliquibus impedita, et impossibilis reddita, quod multis etiam natis ex utero contingit, imo et adultis: multi enim parvuli aliquando sic

deseruntur, ut nullo modo possit eis subveniri aut defectu ministri, aut defectu materiæ baptismi, aut quia non potest ad eos accedi. Et adulti qui privantur usu rationis omni remedio carent pro illo statu, nec est possibile eis applicari. Hoc ergo non pertinet ad insufficientiam remedii, sed ad defectum applicationis, ut jam dicemus.

XXXIII. Secundum ergo dictum supra positum probatur per duas partes. Prima dicit quod aliquibus denegatur auxilium sufficiens ad salutem, quantum ad applicationem, et receptionem talis auxilii in ipsis, in quo existimo veram sententiam m. Bagnez hic art. viii, dub. iii, conclus. viii et m. Gonzalez ubi supra, quod si dare auxilium sufficiens sumatur correlative ad recipere, id est, ita detur a Deo quod recipiatur, et applicetur homini, non omnibus auxilium sufficiens datur, licet si dare sit idem quod offerre, omnibus proponatur communiter, et offeratur, quantum est ex parte Dei. Et præsertim hoc auxilium sufficiens quod negatur, est notitia quæ exigitur ad bene operandum: inde enim incipit prima sufficientia, et potestas, vel etiam in parvulis negatur sacramentum baptismi quo regenerentur, et negatur potestas accipiendi illud. Probat ergo hæc pars, primo, ex D. Thoma qui loquens de parvulis in maternis uteris qui non possunt baptizari, sic dicit in iv, dist. vi, quæst. i, art. i ad i: « Ad primum dicendum, quod non est ex defectu divinæ misericordiæ quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, a qua est remissio peccatorum, quia non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesiæ, per quos talia remedia ministrantur. » Sentit ergo

S. Thomas pro illo statu infantes esse incapaces remedii, et consequenter non posse eis dari auxilium sufficiens, et ita qui moriuntur in illo statu, moriuntur in statu incapaci salutis: ergo carente potentia ad salutem: ergo, et auxilio sufficiente. Nec solvitur hoc, dicendo quod caret auxilio sufficiente in se immediate, et proxime, non remote, et in suis causis, quia possent parentes sic gubernari ut non moreretur fœtus in utero, sed nasceretur, et capax remedii redderetur. Contra enim est, quia illa evitatio abusus, et mortis infantis, aliquando accidit independenter ab omni cura parentum, ita ut prorsus sit impossibilis humano modo, et secundum cursum causarum naturalium illi applicari remedium, et auxilium sufficiens, aut evitari mors, ut patet cum ex casu fortuito, et nullo modo præviso prægnans moritur aut occiditur, ut si cadat super illam dormientem tectum, si fulmine feriatur, aut alio fortuito casu, qui in nullius hominis manu, et potestate esse potuit; aut si ex ipsa debilitate virtutis seminalis, aut sanguinis corruptione, ita fœtus generatur quod parturiri non potest, aut ipsa femina virtute sufficiente ad enitendum caret, quia debilissimæ complexionis est; in talibus, et similibus casibus mors est inevitabilis, et remedium omne humano modo inapplicabile. Et sic quantumcumque Deus habeat voluntatem antecedentem, et inefficacem salvandi illum parvulum, tamen si juxta causas creatas, et modum humanum reliquit applicabile omne remedium, et omne auxilium sufficiens, ita quod nisi miraculose non potest illi subveniri: ergo simpliciter voluit illi denegare potentiam proximam, et humano modo expeditam ad salutem, quod est negare applicationem, seu receptionem auxilii sufficientis.

Quod enim possit modo divino, et per miraculum salvari, et quantum est ex vi voluntatis antecedentis divinæ, hoc nihil est: nam alias etiam damnari in inferno dicerentur habere auxilium sufficiens, et nos habere potentiam ad videndum Deum in hac vita, vel ad volandum, quia per miraculum possunt fieri hæc omnia.

XXXIV. Denique, ad hoc faciunt auctoritates Prosperi, et Augustini. Nam S. Prosper in carmine de ingratis, c. xxx, dicit: « Multos sanctis a genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum. » Et S. Augustinus lib. de natura et gratia, c. viii; « Ego, inquit, dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per baptismum Christi subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit. » Et infra: « Recte ergo ea damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur in regnum cœlorum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit. » Idem capite sequenti docet de adulto, qui in ea terra mortuus est, ubi Christi nomen audire non potuit. Quibus locis Augustinus manifeste docet tales caruisse auxilio sufficienti ad salutem, quia non solum non fuit, inquit, sed nec esse potuit Christianus, sed auxilium quo aliquis est Christianus, est auxilium efficax, auxilium quo potest esse, est sufficiens, ergo si non solum fuit, sed nec esse potuit, caruit auxilio sufficiente. Unde quæcumque explicatio ad istum locum, expeditur ex ipsis verbis Augustini, ut quod loquatur de potestate morali, seu consequenti, non de antecedenti, sicut dicitur quod ille qui non habet auxilium efficax, non potest converti, potestate scilicet consequenti, non antecedenti. Contra enim est, quod Augustinus manifeste distin-

guit de eo qui non potest ex defectu possibilitatis, aut ex defectu voluntatis; imo Pelagius sic distinguebat, et relinquens quæstionem de eo quod non est tale ex defectu voluntatis; solum disputabat de eo, qui non habet possibilitatem, ut patet in capite septimo antecedenti in illis verbis: « Prius distinguit (S. Pelagius) aliud esse quærere, an possit aliquid esse quod ad solam possibilitatem pertinet, aliud utrumne sit? Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit: consequens enim est ut quod est, esse potuerit, non est autem consequens, ut quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit; quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est non potuit? Potuit ergo, sed noluit. » Et statim: « Nos, inquit, de sola possibilitate tractamus, etc. » Ergo quando Augustinus respondens Pelagio justa distinctionem ab eo datam, dicit parvulum illum non potuisse esse Christianum, non loquitur de possibilitate consequenti, sed de antecedenti, quæ dat posse, et pertinet ad auxilium sufficiens. Patet consequentia; nam in illa distinctione ponitur differentia inter id quod non est ex defectu possibilitatis, et quod est ex defectu voluntatis; et tamen ubi non est voluntas, non potest aliquid fieri potestate consequente: si enim non est voluntas, non est auxilium efficax, quo non posito, non potest fieri effectus potestate consequente; et tamen non loquitur de illa potestate Augustini, neque procedebat de illa quæstio Pelagii: ergo loquitur de defectu auxilii sufficientis.

XXXV. Idem quod dicitur de parvulis, sive nondum natis, sive jam natis, sed non in loco quo possit eis subveniri, quod eis denegatur auxilium sufficiens ad salutem, constat etiam verificari in aliquibus adultis,

præsertim in duplici casu, tum in egredientibus ex hac vita, tum in ingredientibus. In egredientibus quidem, quia aliquando existens in peccato privatur usu rationis; et sic moritur, quia nullum naturale remedium habet, nec potest sanari ab illa infirmitate, nisi per miraculum: talis hoc ipso quod privatur usu rationis incurabiliter, privatur etiam omni auxilio sufficienti, quia est incapax operationis; et sic non solum privatur ipsa efficacia, et operatione bona propter voluntatem malam, sed privatur potestate, quia redditur incapax pro illo statu: ergo caret auxilio sufficiente. In aliis etiam ingredientibus hanc vitam, vel etiam continuantibus in ea, constat denegari omnem notitiam fidei, ita quod nihil omnino de Christo, et evangelio audierunt; et sic sunt infideles infidelitate negativa, quæ non est culpa infidelitatis, sed pœna ignorantiae, ut docet S. Thomas 2-2, qu. x, artic. 1: ergo caret auxilio sufficienti ad suam conversionem, et justificationem. Patet consequentia, quia primum a quo incipit sufficientia nostra, seu potestas operandi, est ex cognitione: in incognitum enim non potest ferri voluntas: ergo qui caret notitia requisita ad credendum, caret potentia, et auxilio sufficienti ut convertatur in Deum. Non stat ergo admittere infidelitatem negativam, quæ est ignorantia invincibilis in rebus fidei, nisi ponendo quod aliqui carent omni propositione, et auditu competenti rerum fidei, quod est carere potentia ad volendum credere, et multo magis ad credendum, et consequenter ad salutem: qui enim non crediderit, condemnabitur. Talem autem negativam infidelitatem admittit D. Thomas citato loco, et super caput x ad Rom. lect. iii, ubi docet eos ad quos non pervenit prædicatio evangelii, excusationem habere de pec-

cato infidelitatis. Et idem docet Augustinus de correptione et gratia, cap. vii, in principio, loquens de his, qui non audierunt evangelium, eos etsi non excusat a damnatione, quia caruerunt remedio, bene tamen a peccato infidelitatis. Et apertius capite undecimo ejusdem libri docet de auxilio sufficienti, quod: « Si deest homini vel Angelo, sine culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent: nunc autem quibus deest tale adjutorium pœna peccati est. » Censet aliquando non dari hoc adjutorium et tunc non esse culpam, sed pœnam.

Et ratio est manifesta, quia isti qui nihil audivit de fide, neque est voluntarium non credere, neque possibile, quia cum non possit credere, nisi volens, et circa incognitum non possit ferri voluntas, consequenter non est ei possibile credere, neque voluntarium non credere: ergo neque culpabilis illa infidelitas; caret ergo potestate credendi, et supernaturaliter operandi; et sic caret auxilio sufficienti, et dante potentiam ad salutem.

XXXVI. Secunda pars hujus secundi dicti docet pro præceptis ad implendis indultis semper dari sufficienti auxilium. Et hoc constat, quia si deesset, non peccaret homo, ut dicit Augustinus loco citato de talium præceptorum adimpletione; et sic frustra essent præcepta. Et lib. de gratia et libero arbitrio, c. xvi, addit: « Non juberet Deus quod sciret ab homine fieri non posse. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus. » Unde sumpsit Concilium Tridentinum sess. vi, cap. xi, illam definitionem, quod: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Ubi

ponero illud verbum jubendo monet, etc. nam ipsa jussione, et præcepto notificato, et cognito involvit Concilium auxilium sufficienti ad ejus impletionem, scilicet admonitio ad faciendum quod possimus, et ad petendum quod non possimus, quod tenet se ex parte intellectus, et adjuvat ut possimus, quod est adjutorium, seu vires, quæ tenent se ex parte voluntatis. Et quando dicimus Deum non denegare auxilium sufficienti, posito et instante præcepto, non intelligimus quod semper utrique potentiae, scilicet intellectui, et voluntati præbeat utrumque adjutorium, ita ut recipiatur de facto in utraque potentia, sed ad minus recipit auxilium sufficienti ex parte intellectus, vel saltem offertur ei unde possit habere, nisi velit dissimulare, et supinam, seu affectatam ignorantiam habere. Ex parte autem voluntatis non semper sequitur aut recipitur adjutorium aut vires, seu spiritus ad operandum, quia plerumque aut voluntas est infirma, et suis cupiditatibus victa, aut ita obdurata, et pertinax, ut posita illa notitia præcepti, non solum non sentiat vires ad obediendum in voluntate, sed de industria dicat Dei: « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolimus, » et ut alter Pharaon respondeat proponenti sibi præceptum Dei: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam*, Exodi v. Et de talibus dicit Augustinus v contra Julianum, cap. iv: « Reos fieri, ac vere peccare eos, qui deserti a Deo suis cupiditatibus serviunt, et a diabolo superantur. »

XXXVII. Quod autem denegatio auxilii sufficientis quando denegatur a Deo ad assecutionem salutis, sit effectus reprobationis patet, tum quia hæc denegatio est in pœnam alicujus peccati, saltem originalis, ut de infidelitate negativa docet S. Thomas 2-2, quæst. x, artic.

1, et sic est denegatio punitiva, et reprobativa; tum quia illa denegatio est major denegatio gratiæ, et major obduratio quam sola efficacis auxilii denegatio, et permissio; et sic magis ordinata ad condemnationem, et finalem impœnitentiam: ergo multo magis est effectus reprobationis.

DUE OBJECTIONES.

XXXVIII. Contra resolutionem datam duo præcipue objici possunt. Primo: Quia in sententia D. Thomæ quicumque perveniens ad usum rationis tenetur converti ad Deum conversione justificativa, in tantum quod si non justificetur, tunc non solum manebit in peccato originali, sed etiam in actuali, ut docet 1-2, quæst. lxxxix, art. vi et quæst. xiv de verit. art. xi ad 1, ergo debet omnis homo habere auxilium sufficienti ad finem, et ad supernaturalem conversionem. Patet, quia habet præceptum de tali conversione pro tunc: ergo et auxilium sufficienti, juxta id quod nuper diximus. Unde ulterius sequitur contradicere ibi D. Thomam ponendo quod aliqui venientes ad usum rationis habent infidelitatem negativam: nam si habent præceptum et consequenter auxilium sufficienti ad credendum, et ad convertendum se supernaturaliter in Deum, quod sine fide stare non potest: ergo oportet quod aliquam illuminationem vel propositionem habeat de rebus fidei, alias sine omni notitia fidei quomodo habent auxilium sufficienti ad credendum? Posita autem notitia fidei, si non creditur illi, jam infidelitas est culpa: ergo non est infidelitas negativa, quæ est solum pœna. Nec dici potest quod ille non habet præceptum de conversione supernaturali formaliter, et immediate, sed solum de naturali, quam